



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Syntagma Iuris || Vniversi, Atqve Legvm || Pene Omnium
Gentium, Et || Rervm Pvblicarvm Præcipvarvm,||**

Grégoire, Pierre

Francofurti ad Mœnum, M.D.XCIX.

VD16 VD16 G 2999

Principium, Et Imperatorvm Omnium Domino, Vniversarvmqve Rervm
Exsistentium Avctori, suo Mœcenati omnipotenti, adorandoque Deo, P.
Gregorius.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-97739](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-97739)



PRINCIPVM, ET IMPERATO-
RVM OMNIVM DOMINO, VNIVERSA-
RVMQVE RERVM EXSISTENTIUM AVCTORI,
suo Mæcenati omnipotenti, adorandoque Deo,
P. GREGORIUS.

VARIÆ, & propemodum innumera de summo bono sineq; hominum precipuo prodite sunt ab humanis ingeniis sententia, adoranda Mæcenas: & quamuis unicus sit scopus, vnaue veritas, ad quam non nisi unica via peruenire possimus, aberrandi tamen ab ea patent undecunq; aditus. Homines ut plerunq; affectibus aguntur, & quamdiu his qua summopere desiderant, appetitus fascino mentis constrictam aciem habent: tandem ea probabiliora esse sibi persuadent, aliosq; in eandem opinionem pertrahere conantur. Qui ambitione, & honorum cupiditate ventore superbia impelluntur, hęc principum mortalium scepra mirantur, & extollunt: & ut participes vel modici honoris, vel fauoris fiant, ingeniorum suorum monumenta, scripta, operamq; iisdem tanquam numinibus consecrant, & adulationibus aures illorum deliniunt, seipsos autem precipites conculcant, & nihilominus sibi ita plaudunt. Nec erubescunt Christiani heroes, quibus libros suos dicant, numina, & tutelares deos, & auxiliares, & id genus pluribus nominibus, qua à Christiano abhorrent, appellare. Quinimo si quis exemplo bonorum Christianorum nomen Dei suis scriptis præponat, cacchinnant, & ut vno verbo dicam, se peiores Ethnicis, qui ab eo Ioue, quem putabant Deum, initium faciebant, perfricta fronte profitentur. Misera certe horum cecitas, ut lethalis agritudo qua non sentitur, non valde distans ab affectibus eorum, qui carmina cudent, & idolorum nomina priscorum, Dei nomine scelestissime & imprudenter insigniunt: imo adhuc illis Idolis non contenti alia consingunt, & meretrices quasdam seu amasias cultu diuino donant, deas dicunt, se adorare asserunt. Transferuntur alii a via recta pecuniis, & habendi cupiditate: & isti in summo bono, plura possidere constituunt, animi monumenta nihili faciunt. Aliis alij inuoluti, alia laudant & sequuntur: & pauci sunt, qui & se & bonorum auctorem norint: aut si norint, facile eius obliuiscuntur. Et si quid boni egerint, si quid ingenij eruditionisue consequantur, nolunt vel nesciunt vel erubescunt fateri à quo habuerint: & ingrati, a Deo in homines fructus, & laudem falso traducunt. Ego, Mæcenas adorande, nunquam erubescendum putavi sua cuiq; reddere aut profiteri per quem profeceris. Et satius esse duxi abstinere ab errorib; vulgi: quam eos imitari: mihi plane conscius quot beneficia a te indignus acceperim, nullis mortaliū opibus aut consilio adiutus. Et certe quod de suis diis confictis dicebant antiqui, rectius de te vero Deo dictum puto ab Euripide, in Hercule furente,

Θεοί δ' ἔσαν πρῶτον ἔθεν δὲ φίλων:

Κλεις δ' ἔθεός: ἀφελῶν ἔσαν θεῶν,

id est:

Deus cum fauet non est opus amicis:

Satis enim est Deus iuuans nos si velit.

Et proinde si qua sint in iuris Syntagmate, qua digna lectu, qua utilia Reipublica futura sint, ut tua tibi confecro, tua tibi reddo, a te sumfisse profiteor: & rogo ut tua iuues, nec calumniari patiaris. Reliqua autem, qua humana ignorantia, & cecitate perperam aut male coherent, emendari iubeas. Quid enim diffitear, cum mortalis sim, errare me posse? Nec iniuria principes affici puto, si ea que ipsi vel nihili faciunt, vel qua equis & ludicris postponunt, illis non offerantur. Vnusquisq; sui similibus gaudet, dat census honores. At tibi humilia placent, eaque promoues, superba deicis.

):(2

REVE.